

primo dicit: Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam æternam. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest, Misereatur, etc., et satis erit dicere, Dominus noster Jesus Christus, etc., ut supra, usque ad illud, Passio Domini nostri, etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in Nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

DE

SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

Sacerdos ingrediens locum ubi jacet infirmus, dicat:

V. Pax huic domui,

R. Et omnibus habitantibus in ea.